

Iam primum Legis nostrae inscriptionem trium Imperatorum nomina praeferre, nemini mirum videbitur, cui historia duce cognitum est, Imperatore Valente infelici facto extincto, Gratianum et Valentinianum II. solos imperium tenuisse, Gratianum autem, cum, propter assidua bella ac seditiones, intelligeret, a se solo, Valentiniano fratre in tenera aetate constituto, teneri imperium non posse, Occidente sibi reservato, totum Orientem Theodosio regendum permisisse. Horum igitur Imperatorum, imperii sociorum, cuinam lex tamquam auctori adscribenda sit, de eo magna semper fuit interpretum dissensio: cum Gratiano a quibusdam, et, si quid ego quidem video, recte: a nonnullis Valentiniano: a plerisque Theodosio tribuatur. Qui Theodosium legis auctorem faciunt, quorum agmen Baronius *Annal. ad A. C. 390.* et Iac. Gothofredus *Comment. ad L. 13. C. Theod. de poen. Tom. III. p. 330, seqq. edit. Ritter.* ducunt, testimonio Theodoretum *Lib. V. Hist. Eccl. c. 17.* vel potius prava eius adplicatione, a Cassiodoro *Lib. IX. Hist. Tripart. c. 30.* facta, nituntur. Theodosius enim, cum Thessalonicae, quae Illyrici Orientalis caput erat, propter seditionem a ciuibus motam, immanem illam cladem imprudenti ratione imperasset, qua intra trium horarum spatium septem millia hominum, nullo neque sexus, neque aetatis, neque culpae discrimine habito, per summam crudelitatem occubuisse, praeter Theodoretum, Sozomenus *Lib. VII. c. 25.* Nicephorus *Lib. XII. c. 40, 41.* Rufinus *Lib. II. c. 18.*

memoriae